Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE CADAVERIS INSPECTIONE SIVE SECTIONE LEGALI

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
ERNESTO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQVA
SVMMO TOTIVS CAESAREI EQVITATVS PRAEFECTO AC LEGIONIS PEDESTRIS AEQVE AC EQVESTRIS TRIBVNO
EODEMQVE CAESAREO

PRAESIDE

HERMANNO FRID. TEICHMEYERO
HEREDITARIO IN CAMSDORF ET WENIGEN-IENA
PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. P. P. ORD. SERENISS. SAXON. DVC. VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVL. ARCHIATRO ET PHYSICO ACADEM. IMPERIAL. LEOPOL. CAROL. ET SOC. SCIENT. REG. BORVSS. SODALI
PRAECEPTORE PATRONO ATQVE PROMOTORE OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO LICENTIA

SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS RITE OBTINENDIS
PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT


AVCTOR

IOANNES ERNESTVS GREDING
MED. PRACT. ZWICKAV.



AD D. NOV. ANNI MDCCXLII.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.



J. N. J.

PRAEFAMEN.



Inter præcipua arduaque negotia, quae humeris medici promoti atque in officio publico conſtituti impoſita ſunt, referuntur et ſectiones legales atque depoſitiones forenſes.

Errores, qui in eiusmodi actionibus maximi certe momenti a multis prohdolor! committi ſolent, iam omnes enumerare, ob multitudinem fieri ſane non poteſt. Multi dantur, qui ſectiones et depoſitiones forenſes negligenti peragunt animo; imo, quod dolendum, multi neſciunt, quid qualeque ſit eiusmodi officium, et quae ad hoc caute ſuſcipiendum requirantur. Alii, leui brachio tales ſuſcipientes actus, produnt leuiculam ſcien-

tiam, in primis, cum visum et repertum, vt exacte principiis respondeat anatomicis, consignare minime valeant.

Errorum, in quos imperiti medici rapti fuerunt sectiones instituentes, iam iam cumulum celebratissimi duo medici Lipsienses, WELSCHIVS nempe atque AMMANNVS, hic in *medicina critica*, ille in *rationali vulnerum lethalium iudicio* in medium produxerunt; eoque ipso satis dilucide fuerunt testati, quam turpe sit artis doctori, ea nescire, quae omnino ex asse scire deberet.

Quid itaque ad hoc arduum negotium tam in materialibus, quam in formalibus requiratur, medicum forensem exacte pernoscere oportet, ne errores committens conscientiam suam atque famam laedat, sed ut potius errores, ab aliis perpetratos, emendet atque rem, vario subiectam periculo, penitius introspiciat. Hac propter consilium nostrum eo tendit, ut ea, quae medico forensi ex hac parte incumbant, successive pertractemus.

Faxit summum Numen, ut omnia feliciter succedant.

DE
CADAVERIS INSPECIONE, SIVE SECTIONE IVDICIALI.

§. I.

Cadaveris inspectio est actus iudicialis, in quo, iudice dirigente, actuario et scabinis praesentibus, cadauer occisi a medicis et chirurgis diligen-

ligenter ſecatur et inſpicitur, ut poſtmodum de qualitate, quantitate et reliquis vulneris circumſtantiis a medicis accuratum iudicium ferri et exinde pœna delinquentis futura determinari poſſit.

§. II.

Differt haec iudicialis ſectio a ſectionibus extraiudicialibus, quae a medicis ſuſcipi ſolent vel publice vel priuatim.

§. III.

Publicae ſectiones ſuſcipiuntur in theatro anatomico ab anatomiae profeſſoribus: Hae ſectiones omni commendatione dignae ſunt. Docentur enim et demonſtrantur in iisdem ea, quae in phyſiologia et pathologia medico perquam neceſſaria ſunt, et huius ſcientiam praxinque futuram et genuinam tam clinicam, quam forenſem exornare et perficere poſſunt ac debent. Hancce medicorum anatomen iure diuino et humano licitam eſſe confirmauit Celeb. JCtus Lipſienſis GEORG. TOBIAS SCHVVENDENDÖRFFER in ſpeciali diſſertatione, reſpondente *Joachimo Andr. Corvino*, et noviſſime Illuſtris CHRISTOPH IACOBVS TREVVE in Vertheidigung der Anatomie, daß ſelbe nicht nur, in allen göttlichen und menſchlichen Geſetzen erlaubet, ſondern auch an ſich ſelbſt nicht verächtlich ſey. Norimb. 1722. qui inſimul hiſtoriam anatomiae pulchre deſcripſit.

§. IV.

Priuatae ſectiones ſaepiſſime inſtituuntur a medicis practicis, ut cauſae mortis in morbis appareant. Hae etiam admodum ſunt neceſſariae, quemadmodum

dum patet inter alia ex THEOPHILI BONETI *sepulchreto* siue anatomia practica, opere magno et eleganti, imo omnibus practicis pernecessario. Eiusmodi anatomias susceperunt antiquissimis temporibus *Herophilus* et *Erasistratus*, teste CELSO *Lib. I. in praefat.* qui ita scribit: *Necessarium esse incidere corpora mortuorum, eorumque viscera atque intestina scrutari. Longeque optime fecisse* Herophilum *et* Erasistratum, *qui nocentes homines a regibus ex carcere acceptos viuos inciderint, considerarintque, etiamnum spiritu remanente, ea, quae natura ante clausisset, eorumque posituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, laeuorem, confractum, processus deinde singulorum et recessus, siue, quod inseritur alteri, sive quid partem alterius in se recipit &c.*

§. V.

Morem atque consuetudinem cadauera inspiciendi ab Ebraeis ortum traxisse non sine ratione affirmatur. Quippe cum Exodi XXI, 12. Leuit. XXIV, 17. ac Deut. XXI, 1. sq. sermo sit de mortuis ex vulnere (von Erschlagenen) verba et haec habentur in textu: **Wenn einer einen Menschen (vorsetzlich) schläget, daß er stirbet 2c.** quae omnino ita interpretanda videntur, ut exinde, vulnera scilicet dum causa mortis existunt, moriatur, tunc ex lege divina morte puniendus venit percussor. Ita et erudite atque solide Ill. STRYCKIVS in programmate, Vitebergae edito, rem explanauit 1691. Quum vero sine instituta cadauerum sectione minime diiudicari possit accurate, an vulneratus ex vulnere, vel ex alia causa mortem subierit, omnino sequitur, iam tunc temporis sectionem cadauerum in more fuisse apud Iudaeos.

§. VI.

Apud Aegyptios atque Iudaeos omnino medicos

et anatomicos exstitisse satis clarum est ex Geneseos L, 1. 2. vbi haec verba extant: **Joseph befahl seinen Knechten, den Aerzten, daß sie seinen Vater salbeten, und sie salbeten Israel vierzig Tage.** Illos vero, qui pollincturam instituerunt, in anatomicorum numerum referri debere, exinde planum esse videtur; cum omnino necessum fuerit, ut ante pollincturam viscera lustrando examinarent, ut diiudicare possent, quae fuerit causa mortis. Et si viscerum status ab hisce cadauerum pollinctoribus probe nosci potuit, extra controuersiam ponitur, illos et de qualitate et de quantitate vulnerum iudicium ferre potuisse.

§. VII.

Ab hisce, Aegyptiis videlicet et Iudaeis, per manus Graecorum ad gentem Romanam deriuatae sunt sectiones legales. Apud hanc enim legalem cadauerum inspectionem in usu fuisse, ostendit antecessor Groeningensis, FELTMANNVS in tract. *de cadauere inspiciendo cap. 3.* Groeningae 1673. edito.

§. VIII.

Ius canonicum de hac re clarius disponit, quando de homicidio agitur. Vid. *C. ad audientiam 12. de homicidio V. quia vero et c. VII. in fin.* verba haec leguntur: *Si ex ipsa percussione interierit vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur exspirasse &c.* Iunge STRVV. *obs. criminales ad Lib. V. X. c. 8. observ. II.* ibi et alleg. THEODORICVM *in colleg. crim. cap. VII. aph. I.* §. *39.* Commendat itaque ius canonicum sectionem legalem, sine qua minus apparere possit, an quis ex morbo latente, an ex vulnere inflicto animam exspirauerit.

§. IX.

Tandem hancce legalem cadauerum inspectionem pro fundamento totius processus inquisitorii ponendum esse expresse mandat *Constitutio criminalis Carolina*, omnium statuum S. R. I. consensu recepta articulo nempe 147. et art. 149. in quibus de inspectione agitur. Et quo fiat talis actus legitimus, omnes quoque solennitates praescribit, quae quam exactissime obseruari debent. Articulus 147. sequentis est tenoris: So einer erschlagen wird, und über etliche Zeit darnach stürbe, also daß zweifentlich wird, ob er der geklagten Streich halber gestorben wäre oder nicht, in solchen Fällen mögen beyde Theile (wie oben Beweisung gesagt ist) Kundschaft zur Sachen dienstlich stellen, und sollen doch, sonderlich die Wundarzt der Sach verständig, und andere Personen, die da wissen, wie sich der Gestorbene nach dem Schlagen und Rumor gehalten hab, zu Zeugen gebraucht werden, mit Anzeigung, wie lang der Gestorbene nach den Streichen gelebt habe, und in solchen Urtheilen sollen die Urtheiler bey den Rechtsverständigen, und an Enden und Orten, wie zu End dieser unser Ordnung angezeigt, Raths pflegen. Articulus vero 149. ita sonat: Und damit dann in obgemeldten Fällen gebührliche Ermässung und Erkänntniß solcher unterschiedlichen Verwundung halben, nach der Begräbniß des Entleibten desto minder Mangel sey, soll der Richter samt zweyen Schöpfen, dem Gerichtschreiber und einem oder mehr Wund-Aerzten, (so

(so man die haben und solches geschehen kan) die dann zuvor dazu beaidiget werden sollen, denselben toden Cörper vor der Begräbniß mit Fleiß besichtigen, und alle seine empfangene Wunden, Schläg, Aufswürf, wie der jedes funden und ermessen würde, mit Fleiß merken und verzeichnen lassen.

§. X.

Magistratus itaque, cui exercitium iurisdictionis altae in loco, vbi commissum est delictum, competit, vi officii, nemine etiam postulante, nulloque accusatore existente, etiam si delinquens fuga salutem quaesiuerit, Actuario, scabinis, medicis et Chirurgis adhibitis, omni cura et non per transennam leuique brachio occisi corpus inspicere et vulnerum quantitatem qualitatemque annotare debet. Inspectio enim eiusmodi tantae est necessitatis, ut, hac omissa, vel non legitime facta, nil certi de poena delinquentis determinari queat. Hinc GLASSENIVS in *commentario ad Const. crim. Caroli V*, p. 561. inquit: *Si inspectio, quae tamen ad corpus delicti inuestigandum spectat, omittatur, ob defectum certae scientiae, an vulnus lethale fuerit, vel non, poena ordinaria adhiberi nequit; quippe quae nunquam decerni potest, nisi vbi constiterit de vulneris lethalitate, de qua tamen iudex certus esse non potest, nisi facta prius diligenti cadaueris inspectione. Inde etiam multi Homicidae ordinaria poena legis Corneliae non puniuntur, ob culpam vel negligentiam iudicis, qui vel plane omisit cadaueris inspectionem, vel non legitime in isto actu processerit.* Addatur CARPZOV in *praxi criminali part. 1. quaest. 26. n. 30.* qui inspectionem cadaueris partem praecipuam et necessariam inquisitionis vocat.

§. XI.

Personae, quae ad eiusmodi sectionem iudicialem atque

atque inſpectionem cadaueris ex vulnere mortui requiruntur, ſunt iudex, actuarius, ſcabini, medicus atque chirurgus.

§. XII.

Principalem tenet locum *iudex*, cuius praeſentiam *Conſtitutio Carolina* abſolute requirit atque mandat. Praeſupponitur vero talis iudex, cui iurisdictio competit criminalis. Huius etenim praeſentia inſpectionem reddit firmiſſimam, ZIEGLERVS *ad Jus Can. p. 48.* et omnem ſuſpicionem doli excludit, STRYCK *de iure ſenſuum diſſ. I. c. 2. theſ. 18.* Et ſi inſpectio praeſente iudice fit, tunc illa palam et bona fide ſuſcepta eſt. BARTOL. *in L. frater ff. de condict. indeb.* Hinc ſi medici et chirurgi propria autoritate, abſente iudice, ſectionem ſuſcipiunt, talis actus pro incompleto et inſufficienti habetur. Ideo in tali caſu extraordinariam poenam ſcabini Lipſienſes dictarunt, uti apparet ex CARPZOVII *Pr. Crimin. Part. I. qu. 26. num. 32. et 53.* Iudex vero praeſens non ſolum probe attendere debet ad ea, quae inquiſitum onerant, ſed et ad ea curatius, quae poſſunt eundem ſubleuare; et horum certe potior habenda eſt ratio, cum ad abſoluendum inquiſitum maior, quam condemnandum ſit obligatio. *L. 5. ff. de poenis.*

§. XIII.

Perſona itaque principalis eſt iudex, reliqui ſunt miniſteriales, quo pertinet ſecundo *Actuarius* ita dictus, vel iudicis ſcriba, cuius praeſentia in ſectione legali admodum neceſſaria eſt; medicus enim ei in calamum dictitare debet omnia, quae, durante ſectione, reperiuntur et obſeruantur, dum medicus ipſe manibus cruentis nihil poteſt chartae manda-

mandare, et tamen neceſſarium eſt omnia, quae in actu inſpectionis obſeruantur, annotare. Memoria hominum labilis eſt, medicus vero de omnium circumſtantiarum, imo minimarum veritate certus eſſe debet, et regiſtratura actuarii accurate conſignata ſuppeditat medico omnia, quae ad viſum ſuum et repertum (quod vocatur *Obductions*-Zeddul) rite formandum pertinent. Et ut rei obſeruatae veritas eo firmior reddatur, medicus iudici, actuario et ſcabinis praeſentibus, tanquam teſtibus ea, quae obſeruat, ante oculos ponere, et hi, iudex nempe actuarius atque ſcabini regiſtraturam, ſectione ad finem perducta, ſubſcriptione confirmare tenentur.

§. XIV.

Hic non multis verborum ambagibus diſputabimus, an iudex fungi poſſit munere actuarii? nam ſi dicendum, quod res eſt, nos illis JCtis aſſenſum praebemus, qui quaeſtionem hancce negant. In primis acta eiusmodi, quae iudex, actuarii officium adminiſtrans, conſignauit, ſi iurisdictio contentioſa eſt, nulla habentur, licet iudex ad actum iurauerit. Conf. BERGER in *oeconomia iuris* p. 952. Praeterea turpe videtur iudici, ſi acta, quae actuarii aut notarii chartae mandare debent, ipſe conficiat, quod et ad Rectores academiarum extendendum eſſe minus dubito.

§. XV.

Coeterum officium actuarii, quoad hunc actum, in eo conſiſtit, ut omnia, quae ab initio huius actus vsque ad finem geruntur, fideliter conſignet, ita, ut omni cura omnes ſugillationes, maculas et vulnera, vel caeſim vel punctim alioue modo occiſo illata, vna

cum eorundem quantitate et qualitate, imo in quanam corporis parte et regione, et quonam armorum genere ea inflicta fuerint, annotet, desuperque in vim maioris fidei registraturam exacte conficiat. IVL. CLARVS, *L. 5. §. fin. qu. 4. n. 4.* THEODORIC. in *colleg. criminal, cap. 4. n. 9.*

§. XVI.

Constitutio criminalis Caroli V. requirit quoque scabinorum praesentiam, quae necessaria videtur, cum solus iudex absque scabinis et assessoribus iudicium constituere haud valeat. Scabini vero iuramento obstringuntur secundum C. C. C. V. art. 4. et hisce non adhibitis, vel iuramenti vinculo non obligatis inspectio pro legali non est agnoscenda. MAVRITIVS *Consil. Kilonens. cons. 24. n. 2. p. 117.* ob scabinorum absentiam Lipsienses JCti poenam dictitarunt extraordinariam. CARPZOV *prax. Crim. P. I. qu. 26. n. 32.*

§. XVII.

Quinta et sexta persona in hoc actu legali sunt medicus atque chirurgus. Egit de hisce fusius *Celeber.* PRAESES *in medicina legali cap. XXI.* Cum enim ad scientiam iuris vel legalem non pertineat iudicare de vulneris lethalitate, medici requiruntur, atque chirurgi, qui ex sectione curatius instituta, soli ex asse possunt iudicium ferre de vulnerum lethalitate. Vid. b. PRAGEMANNI, nostri, comment. *de fide, quae medicis apud JCtos est.* p. 4.

§. XVIII.

Medici vero tales, ut iura volunt, sint (a) a iudice ad hunc actum inspectionis specialiter requisiti, et

et (b) iurati, quia eorundem assertioni et relationi de vulnere lethali vel non lethali nulla fides adhibetur, nisi sit iuratoria; KLOCKIVS *Vol. III. Consil. 193. n. 3. 4.* CARPZOV *P. I. qu. 26. n. 24. et sqq.* Perinde tamen est, siue ante, siue post actum visum et repertum iuramento confirmet medicus. Coeterum talis medicus quoque debet esse examinatus, et in academiis summis in arte medica honoribus exornatus, ut testimonium eruditionis suae exhibere queat. Ex hoc enim fit, ut, cum in promotionis actu iuramentum deposuerit, ei eo maior fides habenda sit.

§. XIX.

Quaestio hic mouetur, an iuramentum medici legalis in actu promotionis vel in principio officii sui vel physicatus praestitum sufficiat, et sese ad omnes actus futuros extendat? SCHOEPFERVS in differt. *de haemorrhagia vulneratorum cap. 2. thes. 64.* putat, non sufficere promotionis iuramentum, cum ei non sit inserta formula de cadaueribus inspiciendis, ideo exigente vel iudice vel inquisito iuramentum talis promotus medicus absolute praestare debet. Medici vero prouinciales vel vrbium physici in omni inspectione legali a iudice ante inspectionis actum admonendi sunt cum chirurgis iuratis, ut memores sint iuramenti illius, ab initio praestiti, quo eo maiorem diligentiam, curam atque circumspectionem in hoc arduo adhibeant negotio. Conf. STRYCK in tr. *de iure sensuum diss. 1. cap. 2. n. 32.* et SCHOEPFERVS in diss. cit. *cap. 2. thes. 62.*

§. XX.

Coeterum liberum est iudici ad hunc actum

maximi praeiudicii duos obligare medicos; imo inquisito liberum manet in sui fauorem expetere medicum quemdam, quem iudex huic denegare non potest. Omnes vero medici in viso et reperto consentire debent; omnium enim oculis cadauer est expositum, et si in anatomia versati sunt, non possunt dissentire ratione vulneris; partes enim humani corporis sunt constantes, nec situm nec structuram mutant, et corpus humanum semper manet vnum idemque, tam in vno, quam in alio subiecto.

§. XXI.

Si vero medici sectionem instituentes, et obseruantes, qui eruditi, periti et in anatomia exactissime versati esse debent, in iudicio de obseruatis in sectionis actu discrepent, adeo, ut vnus medicus vulnus habeat pro lethali, alter vero, inquisiti nempe, idem venditet pro non lethali, tunc ad integram facultatem medicam confugiendum est, huiusque iudicium in casu proposito de lethalitate expectandum. Si vero integra collegia medica in consilium vocata dissentiunt, causam pro reo decidendam, et mitiorem contra delinquentem eligendam sententiam JCti non sine ratione statuunt. Vid. KRESSIVS *in comment. ad C. C. C. art. 149.* STRYCKIVS *in vsu moderno §. 3. tit. ad L. Corn. de sicariis et de Jure sens.* §. 11. 20. Consultius enim est, nocentem dimittere, quam innocentem damnare.

§. XXII.

Princeps requirit medicos. Hic non licitum est medici nomine abuti, sed sermo est de veris medicis, non de illis, qui se medicos fingunt, et qui nomine tantum tales sunt, atque a vulgo habentur, quales omnes sunt empirici. Veri autem medici sunt,

qui

qui integram medicinam didicerunt, omnes medicinae partes, quae ad systema medicum requiruntur, probe callent, et medicinam cum philosophia naturali siue physica coniungunt. FELTMANNVS *l. c. p. 44.* vbi de medicis in hoc negotio adhibendis tractat, medicinam diuidit in speculatiuam et practicam, et asserit, quod quidem speculatiua medico perquam vtilis et necessaria sit, verum eam nihil valere, nisi cum praxi combinetur. Medicina praxi cassa inanis est. Praxis dat obseruationes et experientiam et sic veritatem, et sane medicinam praestat cumulare obseruationibus, quam vanis theoriis et speculationibus, quia vna obseruatio in re medica plus docet, quam centum speculationes. Ideo in sola theoria non acquiescendum, sed per obseruationes res in re medica commode explicandae veniunt.

§. XXIII.

Practicam medicinam FELTMANNVS iterum dispescit in diaeteticam, pharmaceuticam atque chirurgicam, commendatque medicum in Chirurgia exercitatum. Medicinae campus amplissimus est, et medica ars longa, vita vero breuis secundum Hippocratem. Qua de causa apud Aegyptios et Romanos receptum fuit; ut singuli medici singulos curarent morbos, et nostris temporibus dantur medici oculares, lithotomi, imo alii, qui in arte obstetricandi excellunt. Chirurgia vero praesupponit physiologiam et pathologiam, imo exactissimam anatomiae scientiam. Sane anatomia subtilis maiorem habet vsum in chirurgia et praxi medica forensi, quam in ipsa medicina clinica. Hinc inquit FELTMANNVS, ad inspectionem cadauerum non esse adhibendum medicum diaeteticum et pharmaceuticum, sed potius chirurgum, et quidem non eum solum, qui vsu et experien-

perientia instructus tantum est, sed talem, qui ex principiis anatomicis totam humani corporis structuram et omnes eius partes earumque necessitudinem probe callet.

§. XXIV.

Princeps porro desiderat medicum, vel in doctorem vel in licenciatum renunciatum, qui testimonia suae eruditionis, exantlatis examinibus, a facultate et ordine medicorum impetrauit. Magni imperatoris Caroli V. medicus et archiater primarius erat VESALIVS, vir in anatomia versatissimus, qui sine dubio in construenda constitutione criminali consilia dedit. Ideo, quando sermo est **von Wundärzten**, siue de medicis vulnerariis, praesupponit medicos anatomicos et in chirurgia exercitatos. Eiusmodi doctores chirurgiae creantur in Italiae et Hispaniae academiis.

§. XXV.

Medici itaque forensis et cadauera inspicientis primaria proprietas est (1) *eruditio et peritia anatomica*. Scire enim et nominare et indicare debet in viso reperto regiones externas, per quas vulnus penetrauit; (2) Scire debet osteologiam, vbi nempe haec vel illa ossa sita sint, quomodo nominentur, diuidantur, et inter se per articulationes connectantur, quales sint in ossibus sinus, foramina, processus et ligamenta, imo tendinum aponeuroses. Si enim haec ignorat, non potest iudicium ferre de grauissimis vulneribus externis, in quibus ossa, ligamenta, et aponeuroses musculorum siue musculorum insertiones vulnerantur, quae vulnera, si contingunt, grauissima symptomata habent pedissequa. (3) Scire debet integram myologiam, ut rite indicare ac nominare queat musculos, eos inprimis, per quos penetrauit vulnus, et, quamuis

uis musculorum vulnera, in se spectata, raro sint lethalia, per musculos tamen penetrant vasa, quae vulnerata ac laesa excitare solent haemorrhagiam. (4) Angiologiam siue doctrinam de vasis sanguiferis, arteriis et venis. Scire debet, quid sit arteria magna, quid pulmonalis, quid vena caua, pulmonalis, azygos, quid vena portae, quomodo se habeant arteriarum et venarum diuisiones, quomodo in hac vel illa parte sita vasa vocentur. (5) Neurologiam siue doctrinam de neruis, neruorumque origine ex cerebro, et spinali medulla, eorumque distributionibus per partes corporis; v. g. quis vulneratur in collo sine notabili haemorrhagia, ex hoc tamen vulnere illico actionum vitalium notabilis fit imminutio ex languore summo, pulsu prauo inaequali; pallore faciei et labiorum, frigore externorum, apparet ideo, quod nerui, ad vitalia viscera determinata, sint laesi, sectio vero deinceps illud manifestat; (6) Adenologiam siue glandularum et vasorum lymphaticorum, ductuumque chyliferorum possideat notitiam. Denique (7) Splanchnologiam, siue viscerum scientiam. Viscera enim sunt partes corporis principiales, et ad vitam conseruandam et continuandam admodum necessariae. Hisce enim mediantibus actiones naturales, vitales et animales absoluuntur, quo pertinet doctrina de cerebro, de organis respirationis, ut de pulmonibus, larynge, diaphragmate, doctrina de organis circulationis sanguinis, cordis, ventriculorum, auricularum pericardii. Notitiam habeat omnium viscerum infimi ventris, viscerum chylificationis, et alimentorum mutationes, quo pertinet doctrina de ventriculo, de intestinis, mesenterio, omento, pancreate, liene. Item organa, quae vrinae secretionibus inseruiunt, vti sunt renes, vreteres, vesica vrinaria, vrethra. Denique organorum generatio-

nis vtriusque ſexus habeat ſcientiam, quid ſcilicet ſint vaſa ſpermatica, ouarium, vterus, eiusque vagina, quid teſtes et mentula.

§. XXVI.

Medicus, cadauera inſpiciens, quoque ſit bonus atque eruditus phyſiologus et pathologus; imo et practicus; etenim in ſuo viſo atque reperto non tantum indicare debet laeſionem ipſam, eiusque quantitatem et qualitatem ſecundum principia anatomica, ſed de laeſionibus iudicium ferre debet, hoc enim deſiderat iudex, qui ſcire vult, an quis mortuus ſit ex morbo latente; an ex violentia; veneno; an ex negligentia; et culpa ipſius aegroti aut etiam adſtantium? Fieri vtique poteſt, ut ex morbo non lethali per negligentiam et errorem morbus oriatur lethalis. Eiusmodi vero iudicium non formari poteſt absque ſcientia pathologica. Ex phyſiologicis illa cognoſcimus, quae requiruntur ad actionum integritatem huius vel illius organi principalioris vel minus principalioris, et examinandum ſemper, an ab illata laeſione actio ſit impedita, vel plane ſublata, ita, ut nullo remedio poſſit reſtitui et redintegrari. In praxi quoque ſit exercitatus, nam iudicium ferre debet de methodo medendi, an illa ſit ſecundum regulas artis vel indicationes rite formata et inſtituta; imo de ipſis remediis in tali caſu applicatis.

§. XXVII.

In actu inſpectionis cadauerum requiruntur quoque chirurgi. Hic quaeſtio oritur: num chirurgis ſolis, abſente medico et phyſico ordinario inſpectio committenda ſit? Nos negatiuam defendimus ſententiam. Etenim chirurgi, ſi rem ſpectes, nihil aliud ſunt, quam medicorum miniſtri, quorum diſcipuli cadauer in locum lucidum, vbi ſectio ſuſcipienda, deportant,

portant, illudque a ſordibus mundificant, capillos, ſi neceſſe eſt, deradunt, ſpongias, inſtrumenta ad ſectionem pertinentia, ſtilos et tubulos, medico ſecanti porrigunt, et, finita ſectione, viſcera examinata iterum in cauitates occultant, et integumenta decenter conſuunt.

§. XXVIII.

Chirurgus peritus et in arte ſecandi exercitatus ſub directione medici ſectionem inſtituere poteſt atque ſuſcipere, verum ſane dolendum eſt, eiusmodi homines rariſſime ſufficienti et neceſſaria eruditione anatomica inſtructos eſſe. Illi inter alios eminent, qui in theatris anatomicis v. g. Berolinenſi et Hannouerano educati ſunt. Si vero chirurgus perfectam ſcientiam anatomicam non poſſidet, ita ſcilicet, ut probe ſciat ea, quae de oſſibus, ligamentis, muſculis, arteriis, venis, neruis, ductibus chyliferis, viſcerum ſtructura, ſitu, connexione atque officio in hoc negotio requiruntur, vix illi tuto ſectio legalis committenda, quia neque accuratum ſecundum principia anatomica viſum repertum in forma debita conſtruere, neque accuratum iudicium de laeſionis modo et quantitate formare valet.

§. XXIX.

Tutius ergo eſt in tali negotio, ſi a iudice medici adhibentur, qui corporis inciſionem perfectius callent. Vid. SCHOEPFERVS in diſſ. *de vulneratorum haemorhagia cap. 2. th. 55.* Si enim inſpectio legalis inſtituenda, iudex ſaltim medicis credere ſolet. REYGERVS *in theſauro practico* voce *medicus.* Et quamuis communiter ſub nomine medicorum etiam chirurgi comprehendantur *C. C. C. art. 149.* attamen medicorum dicta chirurgorum aſſertis praeferri omnino merentur, et id quidem ab maiorem praeſumtum eruditionis

apparatum. Hac ex causa etiam FELTMANNVS *l. c. cap. 49. p. 131.* inquit: *Si quaestio sit de laesa corporis humani parte, et medicinae doctores opinentur, quod homo vel inde mori debuerit, aut non; hoc vero aliter visum sit chirurgis, tunc iudex tuto fidem doctoribus habet, quod illi ex seueriore medicinae studio et exercitiis academicis melius praesumantur vires et corporis humani partes nosse.* Caeterum vero visum repertum subscribere et iuramento confirmare debet chirurgus.

§. XXX.

Secunda proprietas medici est conscientia. Medicus, quando peccat, peccat vel negligentia, vel ignorantia, vel dolo. Negligentia est praetermissio faciendorum ex animi ignauia. Ignorantia est inscitia eorum, quae scire tenemur, et sine quibus artem debito modo exercere non possumus. Dolus autem est malitia, ad decipiendum alterum adhibita. Medicus, qui non conscientiosus est, verbis et factis iudicem decipere facillime potest. Conscientiosus vero medicus pius et probus Deum timet, cui rationem actionum suarum in extremo iudicio reddere debet; hinc in secando diligens et accuratus et in renunciando cautus est, neque inquisitum onerat praesuppositis suis, non satis fundatis, neque etiam ea, quae manifesta sunt atque in oculos omnium incurrunt, silentio praetermittit.

§. XXXI.

Hic quaestio noueri solet, an Iudaeus, medicinae doctor, a iudice ad inspectionem cadauerum sit admittendus? Verissimum quidem est, religionem nihil facere ad eruditionem, potest enim quis esse eruditissimus et insimul pessimus in religione, attamen negando decidendam esse quaestionem affirmatur. FELTMANNVS *l. c. cap. 45.* hancce quaestionem pertractat, eamque ad praeiudiciales refert, inquiens: *primo* quod com-

communi JCtorum suffragio Iudaeus in ordinem doctorum cooptandus non sit, et dignitas haec in iudaeos non cadat; *secundo*; Ius canonicum docere, ne quis ex Christianis medicinam a Iudaeis capiat, et adducere exempla, in specie Caroli Calui, qui a Iudaeo medico veneno fuerit enecatus; concludere simul, si Iudaei artem medicam exercere inter Christianos non possunt, etiam non creandi sunt in doctores medicos. Verum enim vero experientia prohdolor! docet, quod dentur doctores Iudaei, qui honores summos in arte salutari in academiis Germaniae obtinuerunt. An vero talis doctor Iudaeus ad inspicienda cadauera admittendus sit, est quaestio, quam nobiscum negat FELTMANNVS, qui et alios JCtos citat, statuentes, Judaeo medico fidem non esse habendam, quia eorundem fides falsa est, nec iuramenta praestare valent in hoc negotio necessaria. Ipse ZACHIAS *lib. 6. qu. med. leg. tit. 1. qu. 3. nr. 10.* in fine inquit: medicum christianum peccare mortaliter, qui Judaeum, aut alium quemcunque medicum, extra religionem christianam viuentem, socium admittit. Similem sententiam ferendam esse, idem docet FELTMANNVS, si de anabaptistis, mennonitis, et atheis sermo sit, utpote qui nullius Numinis reuerentia tangerentur.

§. XXXII.

Lis nunc mouetur, quomodo iuramentum in tam arduo negotio a medico praestitum, vocandum sit, an scilicet veritatis, an credulitatis? Dantur, qui defendunt, quod sit iuramentum merae credulitatis, cum ars medica tota sit coniecturalis. Concedimus quidem libenter, physicam et physicam adplicatam, siue scientiam medicam in multis obiectis esse tantum modo probabilem; multa enim circa humani corporis fabricam latent et latebunt; b. tamen noster WE-

DELIVS in *suis theorematibus* inquit: *Medicina non est pure στοχαστικη siue coniecturalis, sed gaudet demonstrationibus firmis. Principia habet scientifica, et eadem adplicat ad finem certum.* Et quod indubitatae atque euidentissimae in re medica dentur veritates, exinde probari potest. Quis enim dubitat aut dubitare potest de arteriarum et venarum maiorum, in partibus internis, vulneribus et horum vulnerum lethalitate absoluta, si contingunt, in arteria magna ascendente et descendente, pulmonali, subclauia, carrotide, emulgente, vena caua, azygos? Si enim sanguinis circulus mox sistitur aliaque spatia occupat, homo illico moritur, et exinde prono sequitur alueo, haec vulnera esse lethalia.

§. XXXIII.

Multi homines moriuntur ex vitio quodam interno et morbo latente, et quidem eo tempore, quando vulnerantur et leui percussione laeduntur. Casus si hic euenit, terminus fatalis cum termino laesionis coincidit. Eleganter hoc thema pertractauit Celeber. BOHNIVS in *renunc. vulner. lethal. p. 140.* et seqq. vbi refert, nobilem, cui quilibet summam senectutem promisisset, ad latus vxoris repente occubuisse, cuius subitaneae mortis causa, in cadauere ruptura sinistri cordis ventriculi prope ostium aortae fuit. *Hunc ergo,* inquit BOHNIVS, *si paucis ab obitu horis, leuiter sauciari contigisset, nonne solius temporis rationem habens, ex vulnere mortifero decessisse autumasset.*

§. XXXIV.

SCHOEPFERVS egregius *l. c. p. 27.* ideo hanc cautelam commendat inquisiti cognatis et amicis, ut, quam primum cognoscant, vulnerati et demortui cadauer esse inspiciendum a magistratu, simul petant, ut medicis iniungat

iungat omnes cauitates eorumque viſura perluſtrare. Poſſet enim detegi vitium, cui cauſa mortis clarius adſcribi queat, cum alias iudices non minus ac medici contenti ſunt, ſi partem laeſam luſtrauerint, eiusque qualitatem protocollo inſeruerint.

§. XXXV.

Inſuper vulneratio mortis cauſa procatarctica et remota, non vero immediata aut per ſe exiſtit, e. g. ſi vlcus internum externa laeſione rumpatur, ſanies profundatur, oritur ſuffocatio vitaque aufertur. Eiusmodi caſum vide apud VALENTINVM in *Pand. med. legal. part. alt. introd.* §. 8. vbi quis a pollice in pectus impacto exanimis corruerit, in cuius ſectione empyema, a longis temporibus ibidem latens ac a contuſione ruptum, cauſa mortis extiterit. Hic itaque repentina mors non a percutiente, ſed a morbo latente immediate producta eſt. Leue vulnus, hydropico in abdomine inflictum, omnem aquam cum ſpiritibus animalibus ac anima ipſa, breui temporis ſpatio, educere poſſe, ex chirurgia notum eſt. Ex dictis hiſce itaque patet, praeſumtionem, quae ex temporis breuitate deſumitur, eſſe incertam et fallacem, atque in criminalibus, vbi de poena capitis agitur, et vbi probationes luce meridiana clariores requiruntur, non applicabilem.

§. XXXVI.

Noua iam iam quaeſtio venit decidenda, num ſectio et inſpectio cadauerum in omnibus contingentibus caſibus ſit abſolute neceſſaria, imo an iudex peccet, qui eandem negligit, inprimis ſi vulneratus telo letifero laeſus in continenti poſt laeſionem mortuus ſit atque extinctus? Negatiuam ſententiam excellentiſſimi defendunt JCti, ut BRVNNEMANNVS *in proceſſu inquiſitorio cap. 7. n. 20.* quem allegant et ſequuntur

FELT-

FELTMANNVS *de cadav. inspiciendo cap. 6. §. 7.* STRYCK *de iure sensuum diss. 1. cap. 3. num. 23.* OLDEKOP *contra Carpz. decad. 1. qu. 8. n. s.* Ratio eorundem est, quod inspectio Vulneris ab imperatore Carolo V. tantummodo eo in casu requiratur, si dubium sit, an vulneratus ex vulnere sit mortuus, an ex alia causa, v. g. morbo latente, errore diaetae, imperitia et negligentia Chirurgi atque adstantium. Hunc in finem allegant verba *C. C. C. art. 147.* **So einer geschlagen wird, und über etliche Zeit darnach stürbe, also daß zweifelhaft wäre, ob er der geklagten Streiche halber gestorben wäre oder nicht**, si vero in continenti moriatur vulneratus, dubium nullum superesse, quin ex vulnere sit mortuus. Verum breuitas temporis praesumtionem quidem, non vero probationem plenam suppeditat, quae probatio tamen in criminalibus absolute necessaria est. Etenim omnino fieri potest, vt quis moriatur haemorrhagia, si vulnus non tempestiue deligatur, cum tamen eiusmodi vulnus per se non lethale sit, ut recte iudicat SCHOEPFERVS *l. c. p. 26.*

§. XXXVII.

Facultas iuridica Lipsiensis facultatem medicam in consilium vocauit de quaestione: an vulnus femoris, ex quo ingens copia sanguinis effluxit, et ex quo vulneratus, intra duos horulae quadrantes mortuus, lethale pronunciari possit? medici, non obstante temporis breuitate, hoc negarunt. Vide integrum casum in terminis apud AMMANNVM *in medicina critica casu 17.*

